

cellos omnia nostra videt, tametsi non videatur.

III. Totus est manus, quia omnia quæ fiunt, ipse operatur cum causis secundis: non sicut rex per ministros suos, sed a seipso, in omnia influens: (*Operatur omnia in omnibus*, I. Corinth. XII.) et re ipsa præsens; quia id exigit ejus immensitas. Ipse etiam sicut omnia fecit, ita et conservare continuo suo influxu debet, sicut sol radios, arbor fructus, ramos et folia sua. Ita in primis S. Paulus, Act. XVII. *Ipse dat omnibus (viventibus) vitam, et inspirationem et omnia*. Ipse cum sole et elementis, omnibusque agentibus concurrat adeo, ut sine ipso nihil fiat. Hinc Minutius Felix, in Octavio, respondens gentilibus objicientibus quod Deum colamus, quem non videmus, ait: « Imo ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim ejus et in mundi omnibus virtutem ejus semper præsentem aspiciamus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat. » Ad hæc, ut ait S. Augustinus, lib. IV. de Genesi ad lit. cap. XII. « Creatoris potentia et virtus causa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnique creatura concideret. » Quare, sicut magister manum pueri ducens, una cum ipso scribit quidquid puer scribit; ita Deus una cum agentibus naturalibus concursu suo communi agit quidquid ipsi agunt; quo sublato nihil illa poterunt: multoque minus in actionibus supernaturalibus. Jam ergo non difficile Dei omnipræsentiam concipere et imprimere nobis poterimus, si cum omnibus agentibus manum ejus invisibiliter extensam et ipsis cooperantem cogitemus. Certe si vir potens hospitio nos excipiat, et famulorum suorum interventu omnia nobis suppeditet quidquid necessarium ac percommodum est; alio conclave, alio cibos, alio mensam apparante, alio ministrante, alio accidente, ludente alio, munera offerente alio, etc. omnia obsequia non tam famulis quam ipsorum domino ascribemus, eique identidem gratias agemus, beneficia cordi imprimemus; tametsi ipse dominus cum famulis hæc agentibus nihil collaboret, sed imperet tantum, ac sinum liberalitatis suæ aperiat. Quanto magis id ageremus, et quidem in singulis obsequiis, si etiam ipse dominus una cum famulis suis nobis serviret, coqueret, mensam pararet, pedes lavaret, lectum sterneret, vestes exueret, mane nos excitaret, lumen afferret, canendo et ludendo recrearet? At hoc modo Deus cum suis creaturis, quæcumque tandem nobis serviunt, una semper servit, cooperatur et collaborat, licet absque

labore, quomodo etiam sol operatur cum subterraneis agentibus absque ulla molestia aut labore. Cum sapit cibos et potus, cum fovet vestis, cum illuminat sol, calefacit ignis, refrigerat aer, lavat aqua, portat terra et fert fruges, recreant animalia, exhilarant flores, etc. omnia hæc Deus simul cum causis secundis agit velut manductor earum. Non igitur soli aut elementis, non animalibus, arboribus aut floribus gratam beneficiorum memoriam, sed Deo debemus, et quidem toties, quoties ab eo aliquid accipimus, quod omnibus momentis fit; ita ut bene dixerit S. Augustinus, lib. de dig. condit. « Sicut nullum est temporis momentum, in quo non fruatur homo Dei bonitate; ita nullum esse debet, quo illum non habeat et meditetur præsentem. » Persæ, qui solem omnium rerum datorem et moderatorem credebant, variis modis ejus memoriam sibi inculcabant. Mane ad ortum solis surgere reges jubebantur, coronam quoque radiis quasi solaribus cinctam gestabant, ignem soli cognatum præferri sibi curabant. Ægyptii, quia Nili inundantiam a qua sola agrorum fertilitatem et frugum proventum, utpote pluviis destituti, expectabant, signo leonis, cum id sol percurrit, adscribebant, passim leonum rictus in fontibus insequebant, ad beneficii memoriam, quod ex leonis sidere percipere se credebant. Denique, Hebræi, quia non vane, sed verissimo sibi persuadebant, se omnia alimenta a Dei manu percipere, quoties in mensa novus cibus aut novus potus afferebatur, toties nova gratiarum actione eum excipiebant. Cum enim melius vinum apponebatur, dicebant: *Benedictus sis tu, Domine Deus noster, qui bonus es, et benigna facis omnibus*: et hanc benedictionem vocant *benigni et benefactoris*. Cum aromata afferrentur: *Benedictus sis, Dominus Deus noster, rex mundi, creator arborum aromaticarum*, quam appellant *consummati convivii*: ad fructus arborum: *Benedictus sis, Domine Deus, qui creas fructus arborum*: ad obsonia: *Benedictus sis, Domine Deus noster, qui creas genera ciborum*, quam appellant *obsonii*: ad species aromaticas: *Benedictus sis, Domine Deus noster, rex mundi, creator arborum aromaticarum*, quam appellant *benedictionem deliciarum*. Denique, nullos cibos sumebant, quin singulos reflecterent se ad datorem Deum, ut refert Cornelius, in I. Timoth. IV. ubi insinuat apostolus idem factitasse primo Christianos ex Hebræis conversos. Id ipsum si non modo in cibo, sed etiam in aliis beneficiis a Deo collatis, sive naturalibus, sive supernaturalibus imitaremur, cito ad magnam, perfectionem graderemur. Hæc enim est vita ss. angelorum, qui in omnibus

actionibus suis semper in Deum aspiciunt, ideoque nunquam errare possunt. Quod si regina Saba de servis Salomonis dicere potuit: *Beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam*, III. Reg. X. multo verius id diceretur de servis Dei, qui dicta ratione semper coram Deo stant. Hac via ad perfectionem ascendit Henoch, qui cum Deo ambulans sublatus est; Abraham ambulans coram Deo; Elias et Elisæus, quibus solemne erat dicere: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto*. De S. Abel scribit Josephus, lib. I. antiq. cap. III. eum justitiam coluisse, quod in omnibus actionibus suis Deum præsentem reputavit. Moyses, quia: *Invisibilem Deum tamquam visibilem sustinuit*, ut loquitur apostolus ad Hebræos, XI. § XXVI. meruit a facie ad faciem cum Deo loqui, sicut amicus cum amico loquitur, ut est Exod. XXXIII. § XXXVII. Dorotheus abbas discipulo suo Dositheo hoc præceptum dedit: *Nunquam corde tuo Deus excidat: cogita semper Deum tibi præsentem, et coram illo stare*. Fecit ille ut jussus erat, et infra quinquennium e nobili milite et dissoluto juvene, perfectus et sanctus evasit monachus, ut refert ipse Dorotheus. Idem consecutus est Josephus Anchieta societatis nostræ thaumaturgus, beneficio hujus exercitii, ambulando coram Deo, ut est in ejus vita.

Denique: *Amor Dei*, ait Richardus de S. Victore, de Græc. char. cap. III. *rebus his pro speculis utitur, et in omne quod cernit, sui amatoris resultat sibi memoria*. Amemus ergo Deum, et in omnibus creaturis inveniemus eum non magna difficultate. Invenit eum certe regulus in repentina filii sui sanitate, quando audivit eum sanatum eadem hora, qua Christum audivit dicentem: *Filius tuus vivit*. Quis enim eum impulit ad querendum horam, nisi amor Christi sui, ut ei gratum se præberet? Ex hoc deprehendit eum esse omnipotentem, et ubivis præsentem, adeoque verum Deum. Hinc ipse se suamque domum totam ejus amori et servitio addixit. Quem et nos imitemur, etc.

CONCIO IV.

CUR ASTROLOGI INTERDUM VERA PRÆNUNTIENT.

I. Casu sæpe fit. — II. Ex levitate consulentium. — III. Ex sagacitate conjectorum. — IV. Dei permissione. — V. Dæmonum ope.

THEMA.

Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.

Joan. IV.

Humani generis hostem apparuisse aliquando

B. Dominico, et saltando cantillasse: *Magis et minus: magis et minus*, forsitan audivistis, uti refert B. Vincentius, in serm. domin. IV. advent. Quid autem sibi voluit, nisi quod utroque delectetur hominum excessu; si nimis multum faciant, et si nimis parum. Hoc etsi non in omnibus locum habeat tamen in multis, uti in primis in credulitate, si nulli credamus, et si omnia credamus: si omnia credamus, et si nihil credamus. Sane in hodierno evangelio redarguit Dominus regulum ejusque similes de modica nimis fide, qua, præter sapientiam et verbum Dei, etiam miracula quærebant: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*; alibi vero monet, ne facile nimis credamus, pseudopphetis, videlicet: *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*, Matth. XXIV. Non ergo quibuscumque, nec facile nimis credendum. In quo excessu delinquant multi hoc tempore, qui vanis impostoribus, astrologis, inquam, judiciariis stulte et temere credunt, ex astrorum situ et concursu futuros eventus sibi denuntiantibus. Saltat et cantillat super his diabolus ad tibiam; quos hic dehortandos censui.

Imprimis, licet subinde vera nuntient, audiendi tamen non sunt, quia Deut. XIII. præcepit Deus: *Etiam si dixerint vobis, et ita everit, ne credatis eis*. Olim etiam augures et aruspices (uti modo Zingari et veridicæ) quandoque vera nuntiabant; nunquam tamen a cordatis impetrare potuerunt, ut iis fidem adhiberent. Quare, si astrologos istos audire vellemus, quia interdum vera dicunt, eadem lege reducere augures possemus et aruspices. Deinde, licet interdum prædictioni respondeat eventus, multo tamen sæpius fallit et aberrat, adeo ut, licet vana sit ars illa, carens fundamento, debeant tamen astrologi subinde vera dicere, nec possint semper mentiri, tametsi maxime vellent. Verum ob raritatem rei, vel ob eventum inopinatum, vel etiam opera dæmonis fit, ut firmiter imprimamus memoriæ, et sæpius recenseamus talia prognostica, quando semel vera dixerunt, quam cum toties falsas, sicut cum semel aut iterum aliquid in via ambulantes invenimus, quam cum toties ambulantes nihil invenimus. Sic aves illas ostentamus, quas jaculis confiximus: sed non numeramus eas, a quibus multo crebrius aberravimus. Ponat aliquid in calendario contraria iis quæ prædicunt, non minus frequenter vera dicet, ut expertus est Picus Mirandulanus, qui ex centum et octoginta diebus septem tantum reprehendit respondisse prædictioni cujusdam prognostici. Cur falsas prædictiones aliis causis,

veras tantum suæ astrologiæ adscribunt? Cur causam reddere nesciunt quando aberrarunt? Si enim principia artis suæ adhibuerunt, utique non errabunt: si autem errant, debent ostendere causam erroris, quod nimirum hoc vel illo principio non recte sint usi; quod facere nequeunt. Quare si ex astrologia possunt dicere cur hoc vel illud contigerit hic aut ibi, debent ex eadem dicere, cur hoc vel illud non contigerit; quia contrariorum eadem est scientia. Ita sartor non tantum novit causam, quare hæc vel illa vestis bene facta sit; sed etiam cur hæc aut illa male. Denique, eventus illi rari suam veritatem ab astrologia non desumunt, sed aliunde, ut jam dicemus.

I. Casu et fortuna aliqua, quæ prædicunt, evenire censent viri gravissimi. Cum enim tam multa quotidie mentiantur, mirum non est si interdum verum dicant: sed mirandum potius esset, si in tam multarum rerum prædictione nihil unquam veri dicerent. Sic pueri, quando velatis oculis fuste armati procedunt, ut gallum fune alligatum maectent, aut ollam fictilem conterant, ut plurimum aberrant; aliquando tamen scopum tangunt, si diu præsertim ludum protrahant: *Quis enim est, inquit Tullius, qui totum diem jaculans non aliquando collimet?* Sic quandoque accidit ut revera eveniat id, quod quis somniavit: quam id raro tamen! Et si quidem evenit, tunc miramur, et narramus aliis: at si non eveniat, nec miramur, nec curamus aliis recensere. Contingit interdum suem rostro suo litteram unam, v. g. C efformare in luto: num ideo dicemus suem esse scribam? Cum igitur interdum aliqua contingant, plurima autem non contingant, signum est casu contingere. Jam si semel mentientis fidem amplius non habemus, cur habemus astrologis toties fallentibus? Certe S. Augustinus dicit, si vel unum in sacra Scriptura esset mendacium, aut si Ecclesia vel semel mentiretur, se nec illi nec huic fidem adhibiturum; atqui astrologi plerumque mentiuntur. Audiamus Ciceronem, lib. II. de divinat. « Quotidie refelluntur Chaldæi. Quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Cæsari dicta memini, nemini eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum, ut mihi permirum videatur quemdam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta videat quotidie re et eventu refelli. » Unde Platonem solitum mirari ait: *Quod aruspex videns aruspicem non rideret; dum nimirum stultis hominibus ita imponunt.* Similiter Seneca, in libello de morte Claudii refert astrologos singulis annis, imo fere mensibus, prænuutiasse

mortem Claudio, quæ tamen annos vigint quatuor eos deluserit.

II. Levitate consulentium putantur sæpe vera prædicere. Spes enim magni boni, aut metus magni mali facit, ut, præ expectatione, eventus nimium tribuamus etiam fictis responsionibus: sicut ebriis, quæ stant, moveri videntur. Eas etiam mali aut boni opiniones accendere solent genethliaci, ut fortius impellamur ad bona, prosequenda, opes, dignitates, ampla patrimonialia, principum favorem, mala fugienda, egestatem, exilia, carceres, morbos, mortem: quando speramus illa prospere cessura, timemus hæc ventura. In illorum spe animum assumimus in horam metu dimittimus. Sic fere etiam filii, prout eis parentes instillant, desideria, ut hic fiat episcopus, hic doctor, hic militiæ dux, hic mercator, hic aulicus, apprehendunt quæ promittuntur, et suscipiunt cogitationes, diu noctuque stimulantes animum, quoad assequantur id quod sperant. Contra quibus denuntiatur infaustus rei exitus, illi despondent animum, quasi conclamati, et sic incidunt in miseria sibi denuntiata. Exempla habemus ex Livio in Romano exercitu, cui cum auguria et auspicio secreto inspecta infaustum belli exitum minarentur, auspices et duces, ne militem in arma euntem funesto nuntio consternarent, versis in contrariam partem auspiciis, omnia fausta et triumphalia portendi et a diis promitti mentiti sunt: quo mendacio utiliter decepti milites, alacriter prælium inierunt, et fortiter pugnantes, hostes, quos auguria victores nuntiabant, vicerunt. Contra vero eum Nicias dux classis Atheniensium, incognita sibi lunæ defectione, portendi ratus classis naufragium, si ea nocte portum egredieretur, dum stulto metu occupatus discesum differt, a Syracusanis cum tota classe captus est.

III. Sagacitate conjectorum. Qui enim ingenio valent et prudentia, perspectis cujusque temperamento, corporis habitu, ingenio, consiliis, opibus, studio, animi propensione, institutione vitæ, genere, consuetudine, familia, domo, patria, parentibus, uxore, liberis, dignitate, munere, potestate, etc. quadam solertia et rerum usu multa prævident futura. In hunc finem multi tales peragrant varias regiones, ut nationum et hominum mores et rumores varios expiscentur. Sic præsgit cladem Romani exercitus Hannibal et victoriam Afris, perspecta imperitia et temeritate Varronis et Flamini Rom. coss. atque imp. Deinde, generatim et indefinite pleraque enuntiare solent, v. g. pollicentur alicui honorem et dignitatem, cui prædictioni conciliant fidem,

sive quis sacerdotio inauguratur, sive a principe honoretur, sive laurea doctorali donetur, sive urbi præficiatur. etc. alteri minantur periculum imminere; et quidquid tandem infortunati ei contingit, id contendunt ab astris fuisse portentum. Ad hæc variis conditionibus involvunt prædictiones more Zingarorum, v. g. reperies thesaurum, si terram foderis: habebis liberos, si uxorem fœcundam duxeris: fies episcopus, si litteris excellueris: convalesces e morbo, si medicum bonum habueris, eique obsecundaveris: sed quæ hæc astrologia? Denique, utuntur terminis obscuris, symbolicis et æquivocis.

IV. Dei permissione, qua fit quandoque, ut consulti astrologi etiam nescientes enuntient quædam, velut asina Balaam, quæ ex illorum demerito contingit: vel ut quæ falsa alioquin consulentibus dixerunt, verificentur in pœnam consulentium: vel ut per tales prædictiones illudantur et decipiantur, atque in graviores laqueos incidant, ut docet S. Augustinus, lib. II. de doctr. christ. cap. XXII. et XXIII. quomodo C. Caligula monitus ab astrologo ut a Cassio caveret, ea de causa Cassium Longinum Asiæ proconsulem, virum præclarissimum, e medio sustulit; postea a Chærea tribuno, qui alio nomine Cassius nuncupabatur, occisus est. Ita Saul Pythonissæ ope spiritum Samuelis evocans, audiit se cras apud inferos futurum: forsitan in pœnam illius noxiæ curiositatis, quam ipsemet prohibuerat aliis. Pisanus archiepiscopus, quia de suo exitu astrologos consuluit, in pœnam suæ curiositatis expertus est, quod ei prædixerunt, scilicet suspendium. Quis hoc de tanto viro crederet? Factum tamen est: nam in seditione a factiosis e Palatinis Florentiæ ædibus suspensus est, ut habent annales Florentini. Huc referri potest Petrus Leoninus Spoletanus, medicus celeberrimus, idemque astrologus, qui amicis sæpius sibi ab aquis imminere necem prædixit. Quare et navigationes omnes, quantum potuit, fugit, ideoque Venetias et Paduam deseruit, ac Spoletum concessit. Inde evocatus Florentiam ut Laurentium Medicum curaret, cum, contempto morbo, Laurentium morti exposuisset, eo defuncto, infamiæ metu ad insaniam actus, juxta Caregium villam, in puteum se præcipitavit, vel ut aliqui suspicabantur, a Petro Laurentii filio præcipitatus est, Jovius, elogio XXXV. Non dubium, quin ex Dei vindicta, sive ab alio injectus sit, quod astris stultam fidem habuisset.

V. Dæmonum suggestione et opera, quibuscum magnam habent familiaritatem: unde malefici et astrologi in jure simul copulantur. Atque hanc ob causam vult S. Augustinus, lib. II. de

Genes. ad lit. et lib. V. de civ. cap. VII. magis cavendos astrologos, quia satis clarum sit indicium eos pactum aliquod habere cum dæmone. Potest autem dæmon aliqua prædicere, quæ quidem facta et nuper primum sunt, aliisque nondum constant: item quæ ipse Dei permissione machinari cogitat, rursus quæ probabiliter se hominibus persuasurum existimat. Novit enim sagaciter et multa experientia hominum inclinationes et ingenia, quibus laqueis capi aut inescari queant: item ex signis, litteris, verbis, negotiationibus hominum sagaciter cognoscit sæpe occultas eorum cogitationes. Hoc vero genethliacos communiter esse dæmonum discipulos colligi potest primo, quia plerumque sunt hæretici; catholicis enim prohibetur hoc studium ab Ecclesia: secundo, quia plerumque vitæ inquinatæ sunt, et disciplinam christianam ac pietatem contemnunt: tertio, quia fugiunt conspectum et conversationem hominum, raro conversantur in publico, fere in abdito et procul arbitris vivunt: denique, multi de istis capti, coacti pœnis, fassi id sunt; omnes fere ob irritas et inanes plerasque prædictiones infames sunt, et mendaces habentur. Dæmon etiam libenter se immiscet iis, qui altiora se scrutantur. Utuntur quoque terminis peregrinis, quemadmodum et magi, ut Allilage, Almugea, Rabat, Isaltael, etc. Addo et hoc, nihil prorsus boni, sed plurimum damni adferre prædictiones illas. Vel enim bona sunt quæ nuntiant, vel mala: si mala, vel sunt falsa, et tunc miser eris, saltem frustra timendo: si vera, bis miser eris, ea expectando, velut Tantalus saxum sibi apud inferos quasi in se ruitur in, quoties bibere vellet, perpetuo impendens, (apud Athen. I. VII. cap. III.) et ea tandem sentiendo: si bona, vel mentiuntur, et tunc miser frustra expectas; vel non mentiuntur, et tunc spes te cruciabit.

Vidimus jam unde interdum ea contingant, quæ prædicuntur ab astrologis. Sed quid est quod multi, præsertim magnates, uni potius astrologo impostori quam tot aliis auctoritatibus contrarium docentibus et mandantibus credant? Damnat illos Scriptura, Ecclesia et canones, ss. patres, maxime Ambrosius et Augustinus, juræ civilia, theologi, jurisconsulti, philosophi, ipsi aliquot astrologi, uti Henricus Cornelius qui ait: *Hanc artem non esse aliud, quam superstitionum hominum fallacem conjecturam, qui ob multi temporis usum de rebus incertis scientiam fecerunt, in qua, emungendæ pecuniæ gratia decipiunt imperitos, et ipsi simul decipiuntur.* Nimirum permittit Deus ut decipiantur a deceptoribus; quia sic volunt, uti Achab a pseudopropheta, III. Reg. ult. Qui-

bus S. Augustinus, in Ps. LXXI. occinit illud Ps. IV. *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et queritis mendacium?*

CONCIO V.

AMOR IMPURUS PERICULOSA ET PESSIMA FEBRIS.

I. Vehementer animum incendit. — II. Honestatem detrahit, et infamia aspergit. — III. Ad insaniam rapit. — IV. Nihil eo instabilis. — V. Tollit omnem gustum rerum celestium. — VI. Ad interitum amantem trahit, et in foedissima scelera.

THEMA.

Heri hora septima reliquit eum febris. Joan. IV.

Communis quidem morbus, et qui fere sperni solet, febris est: hoc ipso tamen quia spernitur, satis periculosus est, et saepe exitiosus. Vidit hoc in filio suo regulus hodiernus, qui non quaesivit medicum febricitanti filio, nisi quando jam fere desperatus est: ac nisi omnipotentem medicum accessisset, filium febris extinctum domi reperisset. Febris animi concupiscentia est, amor veneris, similem in homine ardorem et tremorem membrorum efficiens, qualem febris causat, nec dissimile periculum; interea tamen parum aestimatur, parum evitatur aut curatur a quam plurimis: hoc ipso igitur censendus est magis periculosus, quia non censetur perniciosus. Quibus apponendus est Laurentius Justinianus patriarcha, qui c. II. de continentia ait: *Temporalium amor brevis, amarus et periculosus est: temporalium amor animae mors est.* Hunc igitur ut caveamus eum nunc describamus.

I. Febris hominem inflamat, et quasi igne coquit, unde et sitim causat ardentissimam, obvia quaeque etiam sordidissima haurientem: ita etiam amor impurus, quod imprimis testatur S. Augustinus in Ps. CXXI. *Amor immundus, inquit, inflammat animam et ad terrena concupiscenda et peritura sectanda vocat perituram, et in ima praecipitat, atque in profunda demergit.* Ex hac infami flamma oritur ardor inexplicabilis, ad extrema quaeque amantem impellens, donec fruatur concupitis desideriis. Quod imprimis cernere est in Amnone, Davidis filio, qui adeo deperiit propriam sororem, ut ejus potius gratia macie conficeretur, et languorem incurreret, ac postremo tyrannica vi reluctantem opprimeret, II. Reg. XIII. Cui non absimile est quod refert Valerius Maximus, lib. V. cap. VII. de Antiocho, Seleuci regis filio, qui amore novercae ad ultimam corporis tabem redactus, non convaluit, donec medici in-

dustria e venarum pulsu deprehensa morbi radice, novercae infandis amoribus potitus est. Magis adhuc stupendum, quod legitur in vita B. Vincentii ordin. Praedicat. apud Surium, 3. april. de femina Valentina, quae impuro viri sancti amore aestuabat integro anno, adeo ut tandem, aliter cum non posset ejus colloquio frui, moribundam se simularet, quo vel hac ratione evocato ad se, aperiret morbum animi sui, pelliceretque in nefandum scelus: quod tamen execratus Vincentius, mox Dei vindicta puniit, tradens impudentem feminam diabolo torquendam, donec a viro castissimo, qui in medio ignis non est aestuatus, tandem liberaretur. Tantus igitur tamque impetuus est hic foedus ardor, ut infanda ad sui extinctionem excogitet, ac plane hominem conficiat et comburat, adeoque vere de illo dixerit Job, c. XXXI. § XII. *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans germina,* q. d. omnia obstacula perrumpens, donec ad amatum perveniat. Quis tam saevo incendio se committere non cohorreat? Audimus apud Plautum, in Cistel. CCI. lamentari quemdam in eo incendio verbis illis: *Jactor, crucior, agitor, stimulator, versor in amoris rota, examinor, feror, differor, distrahor.* En quos cruciatus affert impurus et profanus amor! In rotam agit miseros. Denique, Nonnus, lib. XLII. Dionys. dicere non dubitavit: *Non potest extinguere sitim amoris totus fluctus oceani.* Ergo sicut ad incendium domus restinguendum omnia perrumpuntur ostia et repagula, perfringuntur tecta, diruuntur domus, postulatur aqua: ita amoris furor nihil non audet et attentat, ut ardorem suum extinguat. Quod in Josephi domina apparuit, dum tam importunae, tamque impudenter juvenem sollicitavit, Genes. XXXIX.

II. Febris homini speciem et pulchritudinem aufert, pallidum, exsuum, horridum et deformem reddit: et impurus amor honestatem amanti detrahit, infamia aspergit, et impudentia deformat. Quod imprimis videre est in Samsone, qui per amorem mulieris perdidit omne robur ac libertatem, quin et oculos et honorem suum. Unde D. Basilius, orat. V. de jejuniis, ait: *Cum se amor meretricio dedisset, robur omne penitus amiserat, oculisque captus, ludibrio erat pueris.* Deinde, in Salomone, qui regia licet dignitate et tanta sapientia praeditus, servituti amasiarum foedissimae se subiecit, ut pro libidine earum, quidquid peterent, concedere et subministrare cogeretur, etiamsi injusta, impia et indecora praeciperent. *Ex luxuria enim* (ait S. Thomas, lib. de regim. princip. lib. III. cap. VIII.) *factus est Salomon abominabilis populo suo in tantum, ut servi*

ejus rebellarent ei. Unde Eccles. XLVII. ei dicitur: *Inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo:* (Graece, in potestatem redactus es corporis tui, q. d. fecisti te mancipium carnis tuae aequae ac mulierum) *dedisti maculam in gloria tua.* Et hoc in senili aetate, cum omnium sententia turpe senilis amor sit. Sed nimirum amor iste, quem corripit, excæcat, ne turpitudinem suam videat: quomodo excæcavit duos illos senes, amore Susannae captos: *Ut non viderent caelum, neque recordarentur iudiciorum justorum,* Daniel. XIII. Unde eorum uni Daniel ait: *Species deceptit te, et concupiscentia subvertit cor tuum,* ita ut nescirent sub qua arbore Susannam vidissent. Designata est hæc talium cæcitas in nefandis illis et impurissimis Sodomitis, qui ob suam bestialem impudicitiam cæcitate percussi sunt ab angelis, ne ostium domus Loth invenire possent. Ita enim cæcantur impuri amantes, ut caeli aditum et viam reperire, quamdiu in suo luto hærent, nequeant: siquidem hic amor mentem plane absorbet, et in brutum convertit. Quare ex eorum cordibus nonnisi crassissimi fumi foedissimarum voluptatum perpetuo exhalant, et rationem obnubilant: quemadmodum e mari mortuo teter ascendit fumus, et aerem obscurat; ita ut justissima Dei vindicta Sodomitarum terra in foetentem illum lacum conversa sit, quia et ipsorum corda tales lacunae erant. « Quemadmodum exhalationes, inquit Clemens Alexandrinus, lib. II. Strom. quae e terra et lacunis ac voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem et nimbosam vertiginem: ita etiam carnalium cupiditatum vapores malam animae inurunt habitudinem, voluptatis spectra animae representantes, et ante eam effundentes. Intelligenti itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores, qui oriuntur ex cupiditate et perpetuitate voluptatum, condensante vitiorum vertigines. » Quamobrem foedus hic amor appellatur *ulcus* a D. Ambrosio, *foetor* a D. Bernardo, *cloaca* ab Augustino.

III. Febris in delirium saepe rapit hominem, ita ut ridicula et stulta plane loquatur. Non aliter impurus amor insana excogitat consilia, quibus consequatur finem suum, insana loquitur, insana molitur et agit. Nonne deliravit pra amore Sichem, quando (ut raptam a se Dinam refinere posset) circumcidi se passus est? Gen. XXXIV. Nonne etiam Samson, quando captus amore Dalilae, toties reposuit caput in ejus sinum, toties ab ea repulsus? Nonne quando manifestae proditrici aperuit arcanum suum, quo perderet vires suas, et hostibus traderetur? Judic. XVI. Et quid videtur vobis de Galeacio illo Mantuano, qui Papiae hibernans, cum puella, quam unice ama-

bat, in ponte obvia ei dixisset: *Quin tu, bellissime amator, qui tantum tibi armatus in acie places, e ponte in amnem amoris mei gratia desilis?* Concitato repente equo, desiliit in fluvium, unde ipse, equo exanimato, vix natando emersit, Pontan. lib. I. cap. XXV. de fortit. Quanta hæc amentia ad stultam amicæ vocem committere se praesentissimae vitae et salutis aeternae discrimini! Sed quid mirum? Amor enim hominem rapit extra se, et in corde amati constituit, ut jam non ad seipsum, sed ad voluntatem solius dilecti attendat. Rapuit certe et quidem ad insaniam usque Henricum comitem Palatinum, qui cum uxoris Adelheidis consensu habitum monasticum assumpsisset, postea ejusdem amore ad saeculum retractus, in furorem et amentiam incidit, in qua propriam, quam sic adamarat, conjugem, arrepta secure, capite truncavit; inde foras egressus, plausu manuum et cachinno, quod egerat, indicavit, in vita S. Annonis, Surius, 4. decemb.

IV. Febris varia et mutabilis est: nunc a frigore incipit, et in calorem desinit, nunc a calore in frigus: modo tertiana, modo quotidiana fit: nunc citius, nunc serius advenit. Nihil etiam instabilis amore turpi: nunc fervet, nunc languet; mox in odium vertitur. Quod antiqui indicaverunt, cum alatum pinxerunt. Ita enim S. Isidorus Pelusiota, lib. II. epist. CCXXXIV. « Corporum, inquit, amorem ob eam causam pictores cum facibus et pennis depingunt, quia nunc libidinem inflamat, nunc rursus ob saturitatem avolat. » Causam edit S. Gregorius Nazianzenus, orat. de S. Basilio: « Corporum siquidem amores, ait, quia res fluxas sibi proponunt, fluunt quoque ipsi non secus ac veris flores. Nec flamma, consumpta materia, remanet, sed una cum ea extinguitur: nec libido, marcescente fomite, subsistit. » Fundatur enim hic amor vel in forma corporis, vel in largis ignibus et numeribus, vel in amore reciproco, et similibus, quae cum vento mutantur et evanescent. Ardet quamdiu aetas floret, vel robur viget, vel species vernalis, vel ad summum vita persistit: hujusmodi enim fomite alitur, quo absumpto vel fugiente, fugit ipse pariter. Exemplum hujus inconstantiae videre est in Amnon, qui, ut diximus, deperibat adeo sororem, ut ejus gratia aegrotaret; ubi tamen eam insana violentia compressit: *Exosam habuit odio magno nimis; ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat.* II. Regum XIII. Plurima alia exempla passim recensentur, ut quod Seneca in Medea refert. Illa enim Jasonem amasium insano prius amore complexa; postea adeo exosum habuit, ut omnes ejus filios, ipso inspectante, nec im-